

Anna Maciejewska


De Iosephi Macionis vita

Collectanea Philologica 16, 7-11

2013

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.



Josef Major

Anna MACIEJEWSKA

DE IOSEPHI MACIONIS VITA

Iosephus Marianus Macio (**Józef Marian Macjon**) natus est Lodziae a.d. VI Id. Dec. anno p. Chr. n. MCMXXXVIII sive ab Urbe condita a. MMDCXCI, id est – kalendarii correctionibus neglectis – duo circiter milia et tres annos post Quintum Horatium Flaccum. Lyceo Lodziensi I anno MCMLVI absoluto, philologiae classicae studuit primum Varsoviae, tum Lodziae. Anno MCMLXVI studiis expletis munus magistri suscepit in Cathedra Philologiae Classicae apud Universitatem Lodziensem. Doctor renunciatus est Lodziae, prolata dissertatione, cui titulus: *Wpływ sofistów na twórczość Izokratesa (Quem effectum sophistae in Isocrate habuerint)*. Confitetur se verisimiliter ultimum esse qui doctoris gradum obtinuerit, antequam ille bellicus rerum status Rei Publicae Polonorum imponeretur – factum est enim pridie Id. Dec. anno MCMLXXXI. In eadem Cathedra Philologiae Classicae Lodziensi doctoris munere functus est usque ad annum MMIV, cum emeritus factus est rude donatus.

Docuit utramque linguam et utriusque linguae litteras, artem metricam, nec non, quamvis numquam professor factus, seminaria tam Latina quam Graeca habuit. Famam sibi meruit praeceptoris strictissimi ac severi, simul autem aequi, a quo studentibus notae nulla ratione tribuerentur nisi iusta competentiae aestimatione. Semper plurima a discipulis suis petivit, non paucos coram Macione *χλωρὸν δέος ἦρει*, numquam tamen scire nos iussit quod ipse prius non docuisset, non indicasset, non explanasset. Cuius praeceptio quanti valuerit, sit mihi venia, exemplo proprio utor: studens ultimi anni in Graecia semestre postremum degi, ubi tamen, praeter scholas ibi adeundas, scribendum mihi erat opusculum, quo Lodziae magistrae gradum adipiscerer. Quod ut fieret, perlegendi erant textus Graeci satis multi – terra in peregrina, ubi nulla adiutamenta in promptu habebam nisi Anglice aut in hodierna Graecorum lingua, quas linguas non multo melius quam antiqui aevi Graecam noveram. (Lectores iuniores notent non solum Interrete, sed ne quidem computatra tunc temporis lato in usu fuisse.) Attamen post Macionis institutionem dissertatiunculam meam complevi opera non nimia effectuque non vilissimo.

Iosephus Macio – quod collegis minus fortasse constat – non solum philologiae classicae nec solum apud Universitatem Lodziensem studentes

Latine docuit, sed philologiae russicae quoque, medicinae, musicae studentibus atque Ordinis Fratrum Minorum Conventualium alumni scholas praebuit.

Mos est apud studiorum universitates in doctoribus honoris causa instituendis Latino sermone uti – cuius nostra aetate plerique rectores omnino ignari sunt, qua de causa illius rei documenta Latine reddenda alicui philologo tradunt. Quod quoque munus, ab Universitate Technica Lodziensi mandatum, Macio explere solet.

Studiis expletis Iosephus Macio Auroranorum circuli, qui conditus erat ab Ignatio Richardo Danka, est socius additus, priscorum Indogermanorum religionis rituumque studio commotus. Cuius circuli eiusque prolationum, nempe Societatis Philologiae Polonorum Sectionis Indoeuropaeae atque Interdisciplinariae Sodalitatis Internationalis Linguarum Communicationis, pars magna factus est. Non tam scholis a collega suo supra memorato habitis, quam usu ipso sermonem Indogermanicum restructum adeo didicit, ut cum paucis eiusdem linguae satis competibus libere colloquatur, utque ipse non paucas scholas doceret. Latino scilicet sermone vivo uti etiam scit.

Societatis Philologiae Polonorum sodalis factus est a. MMLXVI, i.e. studiis finitis; Circulo Lodziensi decennium secretarius servavit plurimosque annos (ab a. MCMLXXXIII ad a. MMII) eidem praefuit, postea praeses honoris causa creatus est. Nominatus est etiam Societatis Philologiae Polonorum h.c. sodalis (a. MMVII). Macione praeside facti sunt Lodziae duo Societatis Conventus Generales. Ab initio (i.e. ab a. MCMLXXX) in Olympiade Linguae Latinae administranda versatur, primum secretarii loco, postea autem, et usque adhuc, Collegio Regionali Lodziensi praesidens.

Anno MCMLXXXI interfuit illi aedium Facultatis Philologicae occupationi, quam studentes susceperant ut Libera Studentium Societas (Niezależne Zrzeszenie Studentów) a magistratibus approbaretur, profitens – teste alio occupationis particeps – „praeceptoris locum ibi esse, ubi studentes eius sint”. Tunc quoque opificum consociationi *Solidarność* dictae voluntatis sodalis fieri statuit. Quo in collegio et primo et postero tempore humanis iuribus ac dignitati operam dedit; post a. MCMLXXXIX consociationi *Solidarność* Facultatis Philologicae in Universitate Lodziensi praefuit. Numquam tamen ulli factioni politicae se applicavit, quod minime mirandum videtur si quis Macionem novit, qui rectum, iustum, probum in omnibus singulis rebus petit, opinionem suam nec prae potentioribus tegit neque erga amicos mitigat nulliusque sententiae favet nisi ipse imo ex corde assentiatur.

Honoratus est compluribus insignibus, quorum maximi valent ea quae pro iuvenum educatione tributa sunt, ut Crux Aurea pro Meritis et Emblema Commissionis Educationis Nationalis.

Coniunx est Theresae, Latinitatis magistrae, quae nunc Societatis Philologiae Polonorum Circulum Lodziensem regit, pater Alexandrae et

Hedvigis, trium nepotum avus. Tempore libero suis suorumque animalibus libenter curam dat; occasione data in montibus Tattris vertices ascendit vallesque peragrat, alioqui silvam Lagievnicensem prope Lodziam sitam birota pedibusve percurrit.

Concursibus marathoniis ter interfuit (annis MCMLXXXI–MCMLXXXIII), quod studium iniit antiquorum virtutis celebrandae causa; ipse confessus est „ideo se cursorem marathonium esse, quia prius philologus factus sit” et, eadem occasione: „nos disciplinae nostrae pariter rationem atque affectionem applicare”¹. Eadem ex causa scripta eius, etiamsi non numerosa videntur, cuncta tamen non solum rationis sedulitate quae unumquemque philologum decet, verum etiam animo ferventi ac diligenti condita sunt, nil enim suo nomine divulgavit, nisi quod penitus suum esset cuique se ipsum dedisset.

Investigationes eius, ut ex bibliographia in paginis sequentibus addita patebit, pertinent ad litteras Graecas (ad Isocraten oratorem), philosophiam et theologiam, imprimis tamen ad elementa antiqua quae in recentioribus litteris Polonicis inveniri possint et ad litteras Polonorum Latinas. Scripsit etiam nonnulla de Auroranorum rebus gestis litterisque, ut qui optime novisset, quae et quales essent. Textus Latinos Graecosque in Polonicum transtulit – quorum non omnes typis impressi ac divulgati sunt, nonnulli enim in aliorum investigationibus fontium loco adhibiti sunt – et transferre usque pergit. Qua de causa ne putaveris, lector, infra datum indicem bibliographicum completum esse.

Iosephi Macionis scriptorum editorum index

Quae ad investigationes pertinent

O twórczości satyrycznej Piotra Rojzjusza, „Sprawozdania z Czynności i Posiedzeń Naukowych ŁTN” 35 (1971), z. 5, s. 1–6.

Ślady sofistycznej teorii względności dobra w pismach Izokratesa, „Meander” 3 (1980), s. 97–110.

Sofistyczna geneza doktryny etyczno-pedagogicznej Izokratesa, „Meander” 9 (1983), s. 303–317.

Jeszcze jeden motyw antyczny w poezji Juliusza Słowackiego, „Meander” 1–2 (1989), s. 53–67.

Obrona ucznia – z antycznych natchnień Juliusza Słowackiego, „Filomata” 415 (1993), cz. II, s. 179–196.

¹ *De omnibus rebus et quibusdam aliis (Bieg Maratoński)*, „Meander” 4 (1984), p. 187.

- W kuchni Pana Sienkiewicza – z badań nad homeryzmami „Potopu”*, „Filomata” 419–420 (1994), s. 43–54.
- Z badań nad homeryzmami „Potopu” Henryka Sienkiewicza*, „Collectanea Philologica” 1 (1995), s. 103–110.
- „Naśladowanie” czcigodnego Tomasza a Kempis wobec dziedzictwa antyku*, „Collectanea Philologica” 2 (1995), s. 183–188.
- Z antycznych natchnień Juliusza Słowackiego*, [in:] *Antyk w Polsce*, red. J. Okoń, J. Starnawski, Wydawnictwo Uniwersytetu Łódzkiego, Łódź 1998, s. 173–183.
- Z badań nad homeryzmami „Potopu”*, [in:] *Antyk w Polsce*, red. J. Okoń, J. Starnawski, Wydawnictwo Uniwersytetu Łódzkiego, Łódź 1998, s. 284–291.
- Drei neuindoeuropäische Hymnen*, „Studia Indogermanica Lodziensia” 2 (1999), s. 163–170.
- Łacińska oda Jacka Idziego Przybylskiego ku czci Hugona Kołłątaja* (una cum Chr. Th. Witczak), [in:] *Od średniowiecza ku współczesności. Prace ofiarowane Jerzemu Starnawskiemu w pięćdziesięciolecie doktoratu*, red. J. Okoń, Wydawnictwo Uniwersytetu Łódzkiego, Łódź 2000, s. 353–356.
- O początku twórczości ausrańskiej*, [in:] *Tradycje indoeuropejskie w ruchu ausrańskim*, red. I. R. Danka, Wydawnictwo Uniwersytetu Łódzkiego, Łódź 2000, s. 20–29.
- Trzy ausrańskie hymny o słońcu*, [in:] *Tradycje indoeuropejskie w ruchu ausrańskim*, red. I. R. Danka, Wydawnictwo Uniwersytetu Łódzkiego, Łódź 2000, s. 66–73 (qui hymni etiam a Macione Polonice redditi sunt).
- Doskonałość – czy można jej doświadczyć, a zatem czy można ją wyrazić* (una cum Chr. Th. Witczak et I. R. Danka), [in:] *O doskonałości. Materiały z konferencji 21–23 maja 2001*, cz. I, Archidiecezjalne Wydawnictwo Łódzkie, Łódź 2002, s. 131–138.
- Let's Go with a Song to a New Europe!* (una cum Chr. Th. Witczak et I. R. Danka), „Studia Indogermanica Lodziensia” 5 (2003), s. 163–166.

Laudes maiorum

- Słowo do Profesora*, „Collectanea Philologica” 1 (1995), s. 7.
- XAIPE ΠΙΟΤΝΙΑ ΧΑΡΙΣ ΕΥΕΡΓΕΤΙΚΗ*, „Meander” 1 (1997), s. 5–8.
- Wspomnienie o prof. Rajmundzie Gostkowskim (szóstym prezesie Koła Łódzkiego PTF)*, „Collectanea Philologica” 7 (2003), s. 91–96.

Carmina ab ipso composita

- De omnibus rebus et quibusdam aliis (Bieg Maratoński)*, „Meander” 4 (1984), s. 185–187 (carmina et confessio oratione soluta).
- Rumak Heliosa*, „Meander” 1 (1998), s. 54.

Textus in Polonicum translati

Hymn o ludziach umarłych (Hymnus de hominibus mortuis) ex lingua Indo-germanica reconstructa, [in:] *Tradycje indoeuropejskie w ruchu ausrańskim*, red. I. R. Danka, Wydawnictwo Uniwersytetu Łódzkiego, Łódź 2000, s. 73.

Hymn homerycki VI do Afrodyty i Hymn homerycki XXX do Ziemi Wszechmatki (Hymni Homerici: VI ad Venerem et XXX ad Tellurem Matrem Omnium), „Collectanea Philologica” 6 (2003), s. 9–12.

Timajos Lokryjczyk, *O naturze i duszy świata (Timaei Locri De anima mundi et natura)* (una cum M. Komorowski), „Kronos. Metafizyka – Kultura – Religia” 1–2 (9) (2009), s. 119–127.

Praeterea typis impressa sunt scripta Macionis minora in fasciculis minoris momenti, carmina (e.g. illa in fasciculis Lycei Kielcensis II anno MCMLXXXVIII editi, de eis tractantes, qui rerum publicarum statu difficillimo se tamen iustos praestiterunt) aut nuntii de rebus currentibus (e.g. de tabula professoris Oświecimski memoriae dicata in „Kronika. Pismo Uniwersytetu Łódzkiego” – i.e. in Universitatis Lodziensis Annalibus – anno 2000).